

Psalm. LXVIII, 1. conjunctione duorum nominum innuitur psalmi præstantia, ut *Gen. II*, 7. è limò terræ, i. e. purissimò. De additamentò tituli in Vulgatò (*canticum Aggai, Jeremia, & Ezechielis, populò transmigrationis, quando incipiebant proficisci, &c.*) proluxè *Luc. Brugens. ann. p. 141.* censetque *Jansenius* non incongruè addita hæc esse à quibusdam expositoribus, ostensuris, à quibus hîc psalmus Davidis sit usurpatus. si ferè *Arnobius* quoque. Vel etiam commendare potuit hunc psalmum *Jeremias & Ezechiel* exulibus, ut aliquando in patriam reversuri eundem præcæteris usurparent. At nihil horum in fontibus.

EXPLICATIO VERSUS II.

לך רמיה (*tibi silentium* (& *laus* :)) scilicet debetur: h. e. tu, Deus optime, solus es ejusmodi adjutor in oportunitate, qui in adversis es tranquillè expectandus, post adversa verò unice laudandus; vel tu solus es objectum nostræ tum spei in cruce, tum laudis in luce. Litera (ל) domini aliàs nota est, ut *Psal. xxii*, 29. **לְיְהוָה הַמְּלִיכָה** Domini est regnum *Psal. xxiv*, 1. **לְיְהוָה הַמְּלִיכָה**. vide *gramm. p. 150.* Vocem **רמיה** proximè *Psal. LXII*, 2. expendimus, quod tranquillam hominis quietem vel silentium exprimat, oppositum impatienti murmuri, vel anxii opitulatorum aliorum conquisitioni. conf. *Pf. xxxvii*, 7. **רָמוּ לַיהוָה** file Domino &c: (Ineptè igitur nonnulli, citante *Gerhardò exeg. pag. 618.* hinc nominis **רמיה** occultationem ex silentio hîc elicere conati sunt.) Atque sic *B. Lutherus* in *priori versione.* **Got** / man harret und lobet dich. *Pagninus*: te expectat laus: *Junius*, tibi debetur certa laus. *Lutherus*: dich lobt man in der Stille: in marg. in *Geult* / daß man sich leidet und still ist. *Muis*: te manet vel tibi congruit laus: quia **רמיה** est congruere. *Chaldeus*: coram te reputatur veluti silentium laus. *Belgæ*: Der Lobgesang ist in Stillheit zu dir. *schol*: in ecclesiâ tuâ celebrant te, in silentio & patientia tuam præstolantes auxilium. *Coccejus*: tibi manet celebratio. *Campensis*: te manet laus, qui Deus es in Zion. *Autor l. 2. fundament. fid. cap. 23.* tibi silentium convenit tanquam laus optima; h. e. filendo laudaris omnium optimè. vide *Voisin theol. jud. pag. 151.* Judica nunc lector, annon simplicissimum, quod primò dictum.

ההלל (& *laus* :)) est hîc asyntheton, ceu *Hab. III*, 11. sol, luna stetit &c.

בציון in Zion :)) meminit montis hujus, eò quòd tempore Davidis asservata illic arca fœderis, ante & versus quam, ceu Dei scabellum, fundendæ tum preces, tum laudes: quia Zionem elegerat Deus &c: *Psal. CXXXII*, 13. *CXXXII*, 34. Vocem hanc nectendam esse non cum proxima, ò Deus, sed cum remotiori *laus*; annotavit *Estius* in ann. ad h. l. verum quidni ad utrumque.

שלם tribuitur vel exsolvitur votum :)) quod videlicet durante calamitatum ac spei silentio conceperunt veri tui cultores. vide *Psal. LXVI*, 13. 14. & *Psal. LXI*, 6. de hîc **שלם** exsolvit, actum jam *Psal. L*, 14.

EXPLICATIO VERSUS III.

שמע audiens (es vel audis) precessionem :)) h. e. audire soles. non enim nada cognitio, sed auditus cum effectu designatur, vel verbum simplex (audiendi) ponitur pro compositò *Exaudien-*

di, ut crebrò in *Psalmis*. Argumentum ergò innuatur, cur tot subinde precibus Deus sollicitetur, nimirum quia infinita Dei clementia magis magisque nos miseros invitat. Non malè *Kimchi*: rex carnis & sanguinis (h. e. mundanus) audire potest preces à binis aut tribus prolatas, non verò simul ab universis (subditis:)) sed tu audis preces omnium, tanquam unius, quantumlibet unusquisque urgeat, quod suum est, &c.

ערך ad te :)) **ערך** sonò sensuq; coincidit cum latinò, ad, ut *Deut. IV*, 11. **ערך** ad cor cæli, *vers. 30.* & *c. XXX*, 2. redibis **ערך** ad Deum; pro quò *c. XXX*, 10. ponitur **אך** ad.

בשר כל *omnis caro* :)) h. e. homo, variis obnoxius calamitatibus, tanquam *Caro* debilis, *Pf. LXXVIII*, 39. Synecdoche partis pro toto, ceu *Gen. IV*. 12. *Psal. LVI*, 5. *Jes. XL*, 6. *Joël. II*, 28. &c. Particula **כר**, quæ collectiva est non ex singulis generum, sed generibus singulorum, referenda est ad quarumlibet nationum homines, Deum Israel in Zion adorantes. Cujusmodi profelyti aderant *Actor. II*, 9. *seq. VIII*, 27. confer. *Reg. VIII*, 41. item *D. Glaff. philol. l. 5. pag. 435.* & *tom. 5. Giff. p. 40.* Belgæ hîc dicunt contineri vaticinium universalis gentium vocationis.

יבוא venient :)) i. e. venire solent; adorandi nimirum opemque implorandi, ut & eucharistica post modum exsolvendi gratiâ. Pluralis ponitur ob præcedens singulare collectivum **בשר** caro, per syllepsin.

EXPLICATIO VERSUS IV.

דברי verba iniquitatum :)) i. e. iniquitates redundare solet hocce **דבר** (quod & verbum, & rem, vel negotium verbis enunciabile denotat,) tam in singulari, quam plurali, ut suprà *Psal. xxxv*, 20. **דברי** מרמה i. e. fraudes: *Psal. XLV*, 5. **דברי** על *Psal. CV*, 27. **דברי** אונתתיו. Sic *Syrus* *Matth. V*, 32. verba scortationum, i. e. scortatio. &c: *Iniquitatum* verò meminit post benignam Dei clementiam, ut ostendat quasi per exemplum, quales tum audiat preces, nempe condonationem peccatorum petentes, tum qualis carnis, nempe peccatricis. Belgæ tum de Saulis vel Abfolomi iniquis machinationibus, tum delictis propriis. Sic & græci quidam Patres de minis hominum iniquorum, verum hoc alienum à phrasi ebræâ.

גברו prævaluerunt mihi :)) nempe instar hostis ferocissimi, de quo viribus prævalente alterumque subigente, verbum hoc **גבר** usurpanti videmus *Thren. I*, 16. *Exod. XVII*, 11. 2. *Sam. XI*, 23. vel prævaluerunt instar aquarum diluvii crescentium, *Gen. VII*, 18. 19. 20. 24. vel viribus ad damnandum inque tartara præcipitandum fuerunt superiores, quomodo heroës prævalent leonibus. 2. *Sam. I*, 13. Confer *Psal. xxxvii*, 5. instar oneris **גברו** aggravatæ sunt super me. Adeoque David se imbellem profitetur peccatorem, qui nec negando, neque extenuando, neque satisfaciendo, peccati à se declinare poterat tyrannidem, imò qui antehac carnis insultibus cesserat, inque spirituali lucta turpiter succubuerat.

פשעיו prævaricationes nostras :)) à suâ personâ, per affixum singulare jod (**פ**) modo designatâ, progreditur ad peccata populi in universum,